

exquisitaeque doctrinae copiam, ut nullus fortasse unquam instructior paratiorque ad eius generis laborem accesserit. In iis enim voluminibus, quae ad hunc diem aliud ex alio edidisti, praterquam quod omnia, vel minima, ad tabularum auctoritatem fidemque exiguntur, certa tutaque causarum consecutionumque indagatione eventa quaelibet penitus dispicis et, si qua eorum dubia aut in controversiam deducta, recte acuteque interpretando explanas. Quid, quod singulares ac proprias uniuscuiusque aetatis notas complexu tam miro proponis, ut quasdam quasi tabulas plenas veritatis, plenas artis depingas? Factorum praeterea expositionem iis verborum sententiarumque luminibus exornas, ut unum aliquid inde existat absolutissimum, quod in sui admirationem studiosorum legentiumque animos convertat ac rapiat. Nec profecto ignoramus, adeo immensam tibi adesse, ex aliis quoque paene omnibus Europae bibliothecis atque archivis, materiam, ut haec tibi cotidie crescat, et crescant item praeter exspectationem, scribendo, volumina. Quid igitur tibi, Dilekte Fili, fausta hac occasione cuperiamus, nisi ut Ille, cuius vice fungimur, prorogata tibi aetate diutissime, ingenii corporisque tui vires confirmet, immo etiam exacuat, ne totius operis conficiendi facultas te spatiumque deficiat? Quod quidem opus quo magis procedit, eo clarus, rebus pro veritate exploratis, divina Ecclesiae virtus elucet ac splendet. Quamobrem perge, invicta qua soles alacritate, laboriosissimum persequi utilissimumque inceptum, cui nec Noster bonorumque omnium plausus nec caelestium deerit remuneratio gratiarum. Quarum interea auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, Dilekte Fili, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die VIII mensis Januarii anno MCMXXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI.

*Dilecto Filio Ludovico baroni de Pastor  
Legato apud Nos Extraordinario at-  
que Administro cum liberis mandatis  
Reipublicae Austriacae.*